

**An omnis pulmonum exulceratio vel etiam excavatio insanabilis? : thesis  
quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi,  
praesentibus competitionis judicibus, publicis competitorum  
disputationibus subjiciet, et explanare conabitur, die sextâ vigesimâ  
mensis januarii, anno 1824 / Joannes Cruveilhier.**

### **Contributors**

Cruveilhier, J. 1791-1874.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Parisiis : Ex typographia H. Tilliard, 1824.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bkkujy whole>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM  
JUSSU REGIS OPTIMI EX MANDATO SUMMI GALICÆ UNIVER-  
SITATIS MAGISTRI INSTITUTA ANNO 1823.

---

An omnis pulmonum exulceratio vel etiam excavatio  
insanabilis ?

## THESIS

Quam , Deo favente , in saluberrimâ Facultate Medicâ parisiensi ,  
præsentibus competitionis judicibus , publicis competitorum  
disputationibus subjiciet , et explanare conabitur , die sextâ et  
vigesimâ mensis januarii , anno 1824

JOANNES CRUVEILHIER ,

MEDICINÆ DOCTOR , ACADEMIE REGIE MEDICÆ SOCIUS REGNICOLA , SOCIETATIS PHYLOMATICÆ  
SODALIS , etc.

Naturam parendo vincere.

BAGLIVI , Lib. I , ch. xi , p. 166.

PARISIIS ,  
EX TYPOGRAPHIA H. TILLIARD ,  
VIA LA HARPE , N° 78.  

---

M. DCCC. XXIV.

PRÆSES . . . . . D. ESQUIROL.

JUDICES . . . . .	DD.	LANDRÉ-BEAUVAIS. RÉCAMIER. BERTIN. FIZEAU. CAYOL. ROYER-COLLARD. JADIOUX. ALIN.
VICES-GERENTES . . . . .	DD.	KERGARADEC. PARENT DUCHATELET.

---

### COMPETITORES.

DD. DELONDE.—ROCHOUX.—GERARDIN.—DE CHAMPESME.—CRUVEILHIER.—PIORRY.—LEGRAS.—BAILLY.—RAMON.—MIQUEL.—DESTOUET.—MARTIN SOLON.—DUPAU.—DUGÈS.—ANDRAL.—GIBERT.—BAYLE.—TUFFIER.—VELPEAU.—MESLIER.—LEGER (Victor).—LEGER (Théodore).—BOUILLAUD.

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISSL. PROFESSORIS  
**HALLÉ**

MEMORIÆ SACRUM.

---

Si adhuc inter nos viveres, Excellentissime vir, opusculum hocce, sorte designatum, præcipiti stylo exaratum vix que meditatum, auspiciis tuis in ephemerali lucem edere profectò dubitassem. Mens verò tua, nunc in Omniscientiæ gremio, rerum causas et effectus, uno intuitu, evolvens, superbamque mortaliū ignorātiā deflens; mens, inquam, grati animi voluntatem non dignabitur. Ergo amica solersque manus amori nostro te incolumem servare non potuit! Memini, et nunquam obliviscar, diei illius quâ tibi valedicens, heu! ultimum vale! inveni te solum, hilarem, ut solebas, mensæ frugali accumbentem: «Oleribus tantum vescor, » inquiebas; calculo vesicæ labore: hodiè non doleo, at statim atque redierunt » dolores: lithotomiam tentare mihi in animo est. » Duobus elapsis mensibus, proh dolor! de te conclamatum esse audivi. Vivis adhuc, optime vir, vivis, et in egenorum, quibus consilio, pecuniâ, indefessus occurrebas; et in collegarum, inter quos exemplar, arbiter et quasi numen sedebas; et in alumnorum, quibus, simul ac ingenii ardorisve scintilla nitebat, favebas, animumque addebas; et in necessariorum memoriâ perpetuò vives. Alii, facundis paginis, ingenium scientiarum propè omnium capax nec non te hygienes in amplissimâ Facultate parisiensi conditorem celebrabunt; ego verò, te virum probum, pium, modestum, generosum (\*), scriptis, sermone, habitu, vitâ, veri medici nobis ideam præbentem miror, et quibus verbis efferam nescio.

---

(\*) In manus meas fortè incidit professoris HALLÉ epistola ad sacerdotem Lemovicensem hypochondriorum morbo laborantem, qui diù in litterarum commercio cum illo fuerat. Hæc verba non satis laudanda hic memorare mihi liceat: « Depuis la révolution, je suis dans l'habitude de ne rien prendre aux ecclésiastiques: s'ils n'ont que le nécessaire, je serais au désespoir d'être la cause de quelques privations de leur part; s'ils ont du superflu, c'est le patrimoine des pauvres. »

At dialectici circà rem medicam certaminis hora sonat ; tempus urget. Utinam, desideratissime præceptor, exempla tua semper præ oculis habeam ; utinam, in lubrico vitæ curriculo, tantæ benevolentiae (\*\*), quam mihi sanè immerito largitus eras, haud imparem me præbere valeam !

Lutetiae Parisiorum , Januarii pridiæ idus , anno Domini 1824.

JOANNES CRUVEILHIER.

(\*\*) Dicerem mihi condonetur, non superbiæ, sed grati animi causâ, me, haud talia suspicantem, tanquam Instituti Gallici sodalem à professore HALLÉ fuisse propositum.

---

AN OMNIS PULMONUM EXULCERATIO VEL  
ETIAM EXCAVATIO INSANABILIS ?

## THESIS

Quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ parisiensi,  
præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum  
disputationibus subjicit, et explanare conabitur, die sextâ et  
vigesimâ mensis januarii, anno 1824

JOANNES CRUVEILHIER,

MEDICINÆ DOCTOR, ACADEMIE REGIÆ MEDICÆ SOCIUS REGNICOLA, SOCIETATIS PHYLOMATICÆ  
SODALIS, etc.

---

### GENERALIORA.

PNEUMONIÆ nec non phthiseos gravissimus effectus; indicationibus novis  
nondùm sat exploratis ansam suppeditans; usque ad hodiernam diem vix  
delibata materies; parva, si ad titulum spectes; magna momentosaque  
si ad frequentiam, diagnosis difficultatem varietatesque propè innume-  
ras respicias; pulmonum *exulceratio* et *excavatio* non semper naturæ,  
ut ità dicam, omnipotentiam et artis vires effugiunt. Imò, si sæpè sæpiùs,  
dùm adhuc circà pulmonum morbos incerta fluctuaret diagnosis, natura  
sibi ipsi commissa, tûm morbum, tûm artem ipsam, sola vicit; quanta spes  
nobis affulgere debet, hodiè cùm, incunabilis exiens thoracis mor-  
borum diagnosis, hosce morbos in principio, incremento, statu, varioque  
exitu pedentim sequi permittit; ulcerum pulmonis initia, progressus,

situm et amplitudinem prænuntiare, certumque de morbis œconomiae abditissimis dare præsagium. O præclara, nunquam satis laudanda perpetuoque jungenda foedere, inventa! Percussionem scilicet et auscultationem; primam, quâ partes pulmonum aeri meabiles aut immeabiles illicò agnoscuntur; alteram, quâ cunctas pectoris partes vicissim perlustrando, interna pulmonum mysteria, quasì oculis subjecta, nobis aperiuntur: non vos separabo, AVENBRUGGER, CORVISART noster, nec te, auscultationis mediatæ inventor, quem mortuorum honori adjungere et modestia tua et pudor meus vix sinunt. Sed ad rem.

Cilibet propositam quæstionem perpendenti patebit sanabilitatem vel insanabilitatem, è pulmonum *ulcerationis* et *excavationis* exquisitâ cognitione pendere, ideòque implicitè comprehendî harumce affectionum descriptionem. Attamen non is sum qui bellum Trojanum ab ovo Ledæ repetens, tûm pneumoniæ, tûm phthiseos, historiam enucleare aggrediar: primò, quid sit *exulceratio*, quid pulmonum *excavatio*; quid sint variæ utriusque species; quonam modo incipient, crescent, desinant; quibusnam signis, dûm vita supersit, nec non in cadaveribus innotescant; quonam deniquè miro naturæ artificio infixa labes resarciatur, dicam.

Apud non paucos, pulmonum *exulcerationis* idem sonat ac phthiseos vox: immerito quidem; nam quot phthisici ad plures abeunt priusquam tubercula ad ultimum stadium pervenerint. Sub *exulcerationis* vocabulo, generatim sumpto, omnem solutionem partium causâ internâ, tûm generali tûm locali, productam, intelligo. *Excavationis* vocem juxtâ etymon sumens, cava quælibet in medio pulmone efformata, ut ut sanguine, sero, pure, etc., plena, latiore interpretatione sub hoc nomine complector. Me igitur distinctioni pulmonum inter ulcera et excavations, à professore LAENNEC (1) admissæ, minimè adhærere liquet. Pulmonum ulcera, inquit, partium erosione serpunt, dûm excavations productionis adventitiæ spontaneâ destructione ortæ, pulmonisque textu dissociato, non autem destructo, nequaquam augescere possunt.

Quibus præmissis, dę pulmonum exulceratione sermo fiat.

(1) *Traité de l'auscultation médiate*, § 27.

**§ I. An omnis pulmonum exulceratio sit insanabilis?**

1. De pulmonum ulceribus fusè dixerunt veteres; plurimasque circà pulmones erosos, ulceribus absumptos, in pus aut pseudomembranas conversos, observationes apud illos legere est: at jàm à celeberrimo MORGAGNO impugnatus, coràm strenuâ recentiorum investigatione prorsùs evanuit error: observaverunt enim, in magnis pleuræ collectionibus, nullo modo absumi pulmonem, sed sensim atque sensim puris auctâ copiâ comprimi; aerem expelli; sanguinis minorem quantitatem appellere, itâ ut stupefactus vidi stupefactique viderunt plurimi, pulmonum loco, tuberculum parvum laminamve tenuem, quæ pseudomembranâ reticulatâ quasi erosâ obducebantur. At si asperam arteriam calamo insufflaveris, pulmonem sese attollere integrum solitamque amplitudinem ferè recipere mirantes sæpè contemplati sumus. Idem dicendum de pure pleuritico cystide inclusio pulmonemque quasi excavante.

2. In pleuritide simplici, rarissimè, si gangrænæ casum excipias, pleura exulceratur. Quotiescumque pleuræ inflammatio ab externâ illius facie ad internam progreditur, facilè solvitur hujusce membranæ cohæsio. Sic tubercula, pneumonia circumscripta, sic textûs cellulosi subcostalis inflammatio, pleuram perfodiunt. Felicissimè hoc observatione sequenti fuit mihi comprobatum. Empyemate ingenti à sinistris cum imminentí suffocatione, hecticâ febre, consumptione, laborabat puer duodecim annos natus: vesicantem in lateris sinistri mediâ et anticâ parte apponi jussi: trans cutem penetravit inflammatio; tûm phlegmonodes ingens inflammatio; abscessus ferro apertus; puris in pleurâ inclusi fausta evacuatio, proindèque fistula pleuralis, pectoris coarctatio, etc.

Pleuræ exulcerationem in pulmonum abscessibus, cùm purulentis, tûm tuberculosis, tanquam epiphænomena, hìc igitur prætermittendam duco.

3. Bis pleuræ emolliionem gelatiniformem in pueris deprehendi, itâ ut pulmonis pars affecta, pleurâ omnino destituta, exulcerationis speciem referbat. Quânam ratione hæc laesio vix cognita reparetur prorsùs latet.

4. Perrara in homine membranæ mucosæ bronchiorum exulceratio. Sub eo respectu, quantum ab intestinorum mucosâ distat! Quod non mirandum si hanc longè majore vi vitali majorique folliculorum copiâ pollere, alimentorum concoctioni inservire, nec non sæpissimè depurantis functionis vices explere, animadvertas. Bronchiôrum mucosa, contrà, aeris tûm inspirati cùm expirati contactum solummodo patitur; nam magna hæmatoseos phœnomena in pulmonum cellulis sese habent. Propè innumeras è phthisi defunctorum feci sectiones, bis tantum in homine bronchiorum mucosam ulceratam vidi; in homine, inquam, nam in brutis (in bove et ove præsertim) nihil hisce ulceribus, modo paucis, modo confertissimis, frequentius. Rostrum seu angulum prominentem quo bronchiales rami ab invicem separantur, plerumque occupant ulcera, eò frequentiora quò profundiùs penetratur. Sæpè aphthis in ore vulgaribus haud absimilia; aliàs ulcera intestinorum tuberculosa æmulantur, nempè subalbida, obrotunda, marginibus ad perpendiculum, velut instrumento, sectis; quandoquè tubercula miliaria sub membranâ mucosâ integrâ nidulantur. Apud melancholicum phthisi pulmonari et laryngeâ enectum, inveni, inter non paucas læsiones, epiglottidis faciem posticam mucosamque laryngis membranam, crassiorem, rosaceam; sinistri lateris chordas vocales exulceratas; in parte tûm asperæ arteriæ tûm bronchii sinistri membranaceâ, mucosam fibrosasque subjacentes columnas partim destructas. Ad hæc, tria ulcera cum cartilaginum erosione in asperâ arteriâ, item plura alia, in bronchiorum ramis cernere erat. Ergò pulmonum exulcerationes mucosâ membranâ exoriri possunt. Curationis modum per analogiam tantum suspicari possumus.

5. At longè saepius in pulmonum cellulis incipit labes. Primò, tuberculis in stadio, ut aiunt, cruditatis scatet pulmo; mox unicuique tubculo succedit ulcuseulum; plurima ulcuscula in ulcera excavationesque coeunt, de quibus infrà dicam.

6. Hic de phthiseos specie quam *ulcerosam* clarus BAYLE nuncupavit (1)

(1) Recherches sur la phthisie pulmonaire, p. 255 et seq.

agendum videretur : verum enim vero si exempla quinque de phthisi ulcerosâ in aureo illius libro descripta perlegeris, exinde inferes, sicut professor LAENNEC apprimè dixit, hanc speciem nihil aliud esse quam gangrænæ circumscriptæ sequelam.

7. Dantur, ut suprà diximus, cava pulmonum sanguine plena ; dantur cystide seroso nec non hydatidifero effecta ; dantur cystides glandem plumbeam includentes ; dantur cavernulæ bronchiorum ramis dilatatis conflatae ; dantur tandem cava gangrænosa, purulenta, tuberculosa. At, ne ultrà propositam quæstionem evager, tantummodò de cavis gangrænosis, purulentis, tuberculosisque seorsim loquar.

## § II. *An omnis pulmonum excavatio gangrænosa insanabilis?*

8. Gangrænâ pulmones quandoquè afficiuntur, frequentius forsan quam vulgo credunt. Non quod veterum circâ pulmonum gangrænam observatis cœco obsequio annuere velim : quam temerè enim gangrænam incusabant nemo nescit ; et pneumoniarum malignarum cum pulmonum gangrænâ epidemiæ, tot auctoritatibus innixæ, evanuisse videntur, ex quo longè accuratiùs investigantur cadavera. Imò AVENBRUGGER et CORVISART (1) auctoritatem de pulmonum gangrænâ in excavationibus quas *vomicae ichorosas* appellant, non invocabo, quià uterque de rebus distinctis promiscuè disseruit (2). Ipse etiamnùm BAYLE, oculatus quidem vir, aliis rebus intentus, gangrænam præsentem non agnovit (3).

(1) *Nouvelle méthode*, etc., par AVENBRUGGER, traduit et commenté par CORVISART. 1808.

(2) Sub nomine vomicae ichorosæ, inquit AVENBRUGGER, intelligo saccum qui non recondit purulentam materiem, sed humorem tenuem, sèpè ex flavo-rubellum, sèpè spadiceum, sèpè ex utroque mixtum, idque à consumptione pulmonis scirrhosi. Infrà, signa notat gangrænam generalia, frigidum sudorem, generum et labiorum livorem, tussim cum sputo censoso, fusco. CORVISARTQUE addit, aperto cadavere, iuveniri in tumore scirrhoso pultem crassam, subnigram, ichorosam, semperque horridè fætentem. (Op. cit., p. 292, 312.)

(3) BAYLE, op. cit., p. 245 et seq.

9. Propositi problematis solutio in variis excavationis gangrænosæ conditionibus tota sita est. Duobus observatis meis incipiam, quorum alterum diffusæ, alterum circumscriptæ gangrænæ, exemplum præbet.

Duo et viginti annos natus vir quidam, scorbuto vix liberatus, variolis confluentibus corripitur: graviter ægrotavit; attamen, desquamatione incipiente, in columis evasisse videbatur. Tum febris, frigore vespertino magno stipata, recrudescere; tussis invadere; halitus tantum fœtorem, ut nunquam memini, exhalarer. Scorbutum incusabam, nam gingivæ tumidae ulceribusque scatentes à scorbuto remanserant. Stragula ichore subnigro, putido infecta, quod aut salivam aut sputa tabo gingivarum permixta autumavi: de amygdalarum regione tantum querebatur æger; pulsus mediocriter frequens; anxietas; percussio anticè experta, sonora. Posticè nec percussus nec auscultatus thorax. Pridiè mortis, delirium leve; pulsus frequentia major; urinæ non voluntaria emissio; horrendus fœtor; minimè illum tam citò ad plures iturum existimabam.

Aperto cadavere, in cavo thoracis dextro, seri cinerei, cœnosi, fœtidissimi, sat magna copia. Ejusdem lateris pulmo posticè et infernè crustâ subalbidâ densâ, sex pollicibus latâ et longâ, pseudomembranam æmulante, obducebatur; candidè fateor, pseudomembranam esse, primo intuitu, existimavi; escharam mox agnovi durissimam; quâ incisâ, in cavernam nigram liquido putidissimo nec non pulmonum detritu fœdè scatentem penetravi. Ejusdem prosapiæ eschara undique gangrænosam excavationem circumdabat. Pars pulmonis vicinior indurata, rubra, mollis, sero sanguinolento infiltrata. Caeteroquin pulmones sani.

Epilepticus idiotaque juvenis, in nosocomio *homme des bois* dictus, quià intelligentiâ ferè destitutus videretur, sonosque rudes vix humana vocem referentes ederet, athleticus, imminutâ solitâ voracitate, oppressione, tussi, febre, laborare cœpit. Horrendo casæ fœtore perculsus, sputaque nigra putidissima videns, pulmonum gangrænam prænuntiavi. Præ indocilitate pectus nec percutere, nec auscultare potui. Pridiè mortis repertus fuit in terrâ degens, forsitan epilepticæ insultûs causâ; pulsus frequentior; oppressio; ingens anxietas: mors decimâ morbi die.

Sinister pulmo coarctatus non dimidiā sinistri lateris partem com-

plebat: ingens caverna irregularis, maximam lobi superioris minoremque lobi inferioris partem occupans, hiatu amplissimo in pleuræ cavo aperiebatur. Pars pulmonis inferior dura pluribusque foveolis pisiformibus gangrænosa distincta.

In hâc observatione, tûm diffusam, tûm circumscripam gangrænam videmus, prætereaque pneumo-thoracem excavatione gangrænosâ ruptâ effectum.

10. Sæpiùs una datur excavatio gangrænosa; quandòque plurimæ minores hûc illuc intersitæ, quas furunculis comparat professor LAENNEC. Modò superficiem pulmonis occupans, escharam ustione productam mentitur; modò pisiformis; aut balani, ovi gallinacei, molem adæquans: excavationi alias lobum integrum, pulmonem ferè integrum depascitur, hæmoptisis lethalem, ruptis vasculis, movet; aut pneumo-thorace stipatur, cùm in pleuræ cavitatem ichori fit via; aliasque minoris momenti offert varietates quas ex unoquoque observato colligere licet.

11. Excavationis gangrænosæ rarissima esse debet curatio; nam ferè semper cum œconomiæ pravissimo statu connectitur, et sæpè ingruit absque inflammationis signis. Gangræna diffusa ægrum acutissimè jugulat; gangræna ferè integrum lobum occupans longè minùs acuto modo, at certè funestum adducit exitum. Quoàd minores excavationes, per se ipsas haud sanè naturæ medicatricis vires excederent: quapropter, devictâ causâ gangrænosâ effectuque locali solùm perstante, excavationi fœtenti detritu per screatum sese exonerat; parietes ipsi mox deterguntur. Succedunt cava non pseudomembranis, non organicis quibuslibet membranis obducta, sed pulmonis substantiâ induratâ quasi ulcerosâ efformata. Ecce phthisim ulcerosam à BAYLE accuratè descriptam. Aliquo temporis intervallo elapso, à tuberculosis vel purulentis excavationibus minimè distingui possunt: talis est septima et vicesima ejusdem auctoris observatio. Hic non amplius observationis Ariadneo filo ducimur, at ratiocinium experientiaque è certissimis œconomiæ legibus sumpta, nos docent, ad cicatricem naturam totis viribus tendere. Causæ cùm generali, si adest, tûm locali, occurrentum. Professor LAENNEC mihi dixit se vidisse mulierem gangrænâ circumscripâ ægrotantem felicissimè sana-

tam; doctor FLANDIN (1) observationem virginis pulmonum gangrænæ signa præbentis faustè curatæ enarrat.

12. A costarum, nec non vertebrarum dorsalium carie pulmonum excavationes gangrænosæ ortum ducere visæ sunt (2). At non facilè illis crederem; nam puris è carie procedentis fœtor, partium ad nigrum colorem facilis transitus nobis facere possunt. Cæteroquin evidenter insanabile vitium.

13. Tandem juxtà professorem LAENNEC, excavationis tuberculosæ parietes gangræna invadere potest; tûm sputa fœtidissimè olen: de odore fœtido certus, at de causâ gangrænosâ foetorem producente incertus hæreo. Has excavationes tûm tuberculorum, tûm gangrænosarum excavationum simul pericula sortiri patet.

### § III. *An pulmonum purulentæ excavationes sint insanabiles?*

14. Si ad hanc quæstionem elucidandam, venerandam antiquitatem adimus, si rebus anatomicis minimè versatos coævos nostros de eâdem re interrogamus, hæc quasi opinionum summam colligemus: «pulmonum abcessus vel vomicas vel apostemata, esse frequentissima; febre continuâ cum vespertinis paroxismis, sudore nocturno, macie, tussi, debilitate in dies crescente, œdematosâ facie, etc., abcessus illos prænuntiari, copioso puris screatu manifestari: quandoquè in pleuram, aut quodlibet pectoris vel etiam abdominis punctum, sese exonerare;» omnesque opinionem suam clinicis observationibus adstruentes, curationis exempla nobis afferent (3).

15. Primus BICHAT (4) excavationes pulmonum purulentas in dubium revocâsse mihi videtur, pusque in pulmone infiltrari, non autem in unum coïre, affirmat. BAYLE (5) et professor CAYOL (6) pus inter pulmonum lobos

(1) Propos et observ. relat. à quelq. mal. 1822, pag. 18.

(2) Dissert. cit., pag. 27, 29.

(3) Vide imprimis, HIPPOCR. de int. aff. cap. iv, de morbis, Lib. III, cap. iv et passim, BOERHAAVE et VAN SWIETEN, Peripn. vera. Pleuritis. Empyema. (t. II. III.)

(4) Anat. gén., t. II, p. 543.

(5) Recherc. sur la phth. pulm., 340, 354, 367.

(6) Bibl. Med., t. LX, p. 270.

collectum sœpè pro pulmonum abcessibus haberi. Doctor BROUSSAIS (1) semel tantùm pulmonem purulentis abcessibus excavatum se vidisse refert. Doctor RULLIER (2) semper pus ore exscreatum è pleurâ venire existimat. Tandem in professoris LAENNEC (3) opere hæc invenies : « Je regarde les » vomiques, telles que les connaissent les anatomistes, comme le ramol- » lisement des tubercules. »

16. Quid inferendum? unum, ni fallor; scilicet in cadaveribus pulmonum abscessus perraroſ. At de cadavericâ investigatione ad vivum hominem non semper valet consequentia; enim verò, circumscripta pulmonum inflammatio paucos jugulavit. Videamus igitur an clinica observatio anatomiae pathologicæ vices explere possit, ità ut, datis signis, pulmonum abscessus certò agnoscamus. Quòd si quis me extrà quæſtionis limites evagari objiciat, respondebo excavationum pulmonis existentiam, tot et tantis nominibus impugnatam demonstrandam esse, priusquam de illarum sabilitate vel insanabilitate sermonem faciam.

17. In nullo sanè viscere faciliū promptiusque pus generatur; quod non mirum, si pulmonis texturam omnino cellulosa et vascularem attendas. Adultum vidi pneumoniâ duplii lethaliter decumbentem, tertiâ die confectum, cuius pulmones subcinereo pure scatebant. Sæpius tamen, à quintâ ad nonam diem incipit suppuratio; tūm remissionem, fucum multis facientem, mors excipit; sectoque cadavere, apparet pulmo subcinereus, hepatis, ut aiunt, substantiam referens: si oculo nudo, vel optices instrumentis munito, hanc alterationem scrutatus fueris, tunc unamquamque cellulam pure plenam invenies, abstersaque sectionis superficie, compressione mediocri, prodeunt innumeræ guttulæ è foveolis protrusæ.

18. Nondùm pulmonum solvitur cohæſio; at puris copiâ magis atque magis augente, cellularum parietes tūm densiores, tūm fragiliores, ultrà

(1) Phlegm. Chroniq., t. II, p. 111.

(2) Dict. des Sciences Méd. (*Empyème.*)

(3) Traité de l'auscult. méd., t. I, p. 116.

modum distenti, crepant; indè cavernulæ irregulares, quasi laceratae, anfractuosæ, pus saniosum continentæ.

19. Hic desinit plurimorum observatio: at vidi, viderunt plurimi cavernulas hasce in unum coire, variæ amplitudinis purulentum efformare cavum, cuius parietes adhuc pure penetrati et madentes inveniuntur.

20. His præfatis, ratiocinium, ex analogiâ argumenta sumendo, accessus purulentos admittendos esse demonstrat. Nam prædicta collectio tanquam verus abscessus, rudis scilicet, haberi debet. At nil mihi concedi volo; physica physicè demonstranda. Nonnulla observata fide digna rapidè enarrabo.

a. In infante septemdecim mensibus nato, emollitione ventriculi gelatiniformi affecto, inveni, in sinistri lateris pleurâ, magnam puris serosi copiam, tûm, in pulmonis infernâ parte, abscessum nucem juglandem adæquantem, pure sanioso plenum (1).

b. In alio infante, sex mensibus nato, cuius facies pustulis venereis quasi erosa fuerat, vidi caveam pulmonis superiorem lobum ferè integrum occupantem, cuius parietes læves puris tenui strato obducebantur. Plures bronchiorum rami in hoc cavum sese immittebant. Alioquin sanissimus erat pulmo multisque tuberculis infarctus.

c. In senis cadavere pneumoniâ defuncti, vidi in lobo inferiore pulmonis dextri, *hepatisationem* subcinereum cavumque purulentum. nucem putaminibus involutam, adæquans.

d. Professor LAENNEC observavit apud pneumonicum vigesimâ morbi die confectum, puris collectionem sat magnam, cuius parietes detritum purulentum offerebant (2). Bis hyeme elapso, abscessus pneumonicos nucis juglandis magnitudine vidit, quos antè mortem stethoscopii ope repererat

e f. Hic apprimè congruunt amici mei Prof. Monsp. LALLEMAND duo observata (3). Mulier secundâ et vigesimâ pneumoniae die occubuit. In

(1) Médec. prat., éclairée par l'anot. path. 1<sup>er</sup> cahier, 1821, pag. 59.

(2) LAENNEC, Op. cit., pag. 165.

(3) Bibl. méd., tom. LXV, pag. 214, et Dict. des Scienc. médic. (*Vomiques*, par M. Pâtissier.)

pulmone dextro, hepatisatio subcinerea, et in apice cavum purulentum cuius diameter tres quatuorve pollices habebat, inventa sunt. Cavi parietes nigri erant et inaequales; cavum alterum minus in aliâ parte visum est.

Altera mulier decimâ et octavâ die occubuit. In pulmonis apice inventus fuit abscessus pure albo refertus, satque copioso ut poculum adimpleret. Supernè, pleura pulmonalis pleuræ costali adhærens hujus abscessus parietes efficiebat At sèpè, abscessus duas inter pleuras situs pro abscessu pulmonum haberí potest: errorem hunc facilè effugit pro suâ sagacite prof. LALLEMAND.

21. Apud pneumoniæ chronicæ laborantes, tanquam phthisicos habitos, non semel abscessus vidi.

g. In juvēne quinque et viginti annos nato, observavi sinistri lateris pulmonem induratum, ex albo cinereum, plurimis purulentis cavernis excavatum, cuius parietes membranâ rubrâ obducti, fibro-cellulosi, abscessum veterem in alio quovis loco situm æmulabantur. Plures bronchiorum rami in cavernas sese immittebant. Nullum tuberculum reperi. Sanè, si tubercula invenissem, hunc casum ad phthisim referrem.

h. Hic memorare libet doctoris BROUSSAIS observatum sub titulo: *Phthisie avec ulcération causée par le séjour d'une balle dans le poumon.* Pulmo sinister induratus septem vel octo cava offerebat, quorum plures ovum gallinaceum adæquabant. Cystide lœvissimo obducta plumbea glans certè his cavernis aliena fuerat:

k. Cava in pulmone corpore extraneo præsenti producta, in Acad. Reg. Chir. Comment. à LOUIS relata:

i. Observationem à doctore Beullac (1) in lucem prolatam, in quâ, tûm lateris dextri coarctatio, tûm pectoriloquia, vivente homine, à plurimis annotatæ fuerant.

Aperto cadavere, pleura semicartilaginea, pusque concretum in ejusdem

(1) Journ. Complément., tom. XIII, pag. 97.

pleuræ cavo; simul in pulmonis apice cavum nucem juglandem æquans inventa sunt. Pulmonis textus cavum ambiens induratus, alias spleniformis.

22. Hic prætermittere nequeo, tanquam abscessuum causam, pneumoniæ speciem quam sub nomine *lobularis* nuncupare soleo, quia pulmonum quidam lobuli huc illuc inflammatione corripiuntur, lobulis sanissimis separati. Textus cellulosus lobulos alligans inflammationem exactè circumscribit. Quandoquè tamen duo vel tres lobuli vicini simul inflammantur. Hoc primùm vidi apud infantem tussi ferinâ enectum. Hoc apud ægrotantes vastâ suppuratione externâ consumptos pluries reperi. Semel lobuli suppurati parvam caveam purulentam efficiebant, ita ut primo intuitu phthisim tuberculosam mentiebantur. De hoc satís.

23. È præfatis sequitur abscessus pulmonum purulentos in cadaveribus esse perraros, et abscessum rudimenta frequentissima. Sequitur præterea, abscessus purulentos, in vivo homine, longè frequentiores quam in cadavere. Ergò de horum abscessum sanabilitate vel insanabilitate dicturus, non chimæram effinxero. Nùm igitur pulmonum abscessus insanabiles? Omne punctum absolvam si demonstravero: 1º quibusnam signis in vivo homine pulmonum abscessus manifestentur; 2º quānam viâ natura pulmonum excavationes occludat.

24. Et primò, quibusnam signis, in vivo homine, pulmonum abscessus manifestantur? Duobus tantum signis, puris scilicet exsereatu, et pectoriloquiâ. Cætera signa rationalia nec non volæ applicationem, ut strepitus puris, dum tussit æger, distingui possit, signum ab AVENBRUGGER et CORVISART (1) celebratum, consultò prætermittam.

25. Sputa purulenta à catarrhosis, pituitosissputis distinguere non semper arduum; puri enim phlegmonodi haud'absimilia, nonnullum fœtorem exhalantia. Per plures annos curis meis fuit commissa puella idiota quæ, quovis manè, gangrænam redolentia sputa tussiendo protrudebat, modò alba, modò saniosa. Cæterum sese benè habens, diù juventutis habitum obtulit: tandem tribus annis elapsis, macilenta, febricitans, nocturnis sudoribus,

---

(1) Op. cit., pag. 334, 335.

alvi profluvio confecta occubuit. Caverna magna, stethoscopii ope prænuntiata, apicem pulmonis dextri infestabat. Induratus pulmo minimè tubercululis scatebat.

26. Non semper à pulmone venit pus tussiendo rejectum. Sæpiùs forsan (1); semper juxtà alios (2), in circumscriptâ pleuritide pus congestum in bronchiorum ramos irrumpit. Sic, inter pulmonis lobos, sic inter diaphragma pulmonisque basim, sic in parte posticâ vel laterali pus collectum, pulmonis superficie è convexâ concavam effectâ, in medio ipso pulmone, existere videtur. Pressus pulmo facilè in arcto quodam spatio inflammatur; tunc pleuræ inflammatio nova, ab adhærenti facie ortum ducens, hanc membranam perforat, seu gangrænâ mediante, seu, quod frequenter, distensione nimiâ et auctâ fragilitate; (3) tunc pus omne simul bronchiorum ramos ingruit; vedit SWIETEN ægrotantem subito suffocari: sæpiùs post gravissimum insultum quiescit æger multùm sublevatus, aut brevi temporis spatio curandus, aut phthisicus evasurus. Viam quâ pleuræ abcessus in pulmones aperiuntur, fistulam scilicet mucosâ membranâ obductam, primi luculenter descripserunt BAYLE (4) et prof. CAYOL (5).

27. Ex abcessûs hepate prodire potest pus tussiendo emissum. Vidi abscessum inter diaphragma et hepar formatum, in pulmonem, per diaphragma, irrupisse. Vedit CORVISART (6) ex ipso hepate pus provenire, vidisseque asserunt VAN DERWIEL doctorque PORTAL.

28. A quartâ vix cognitâ fonte venit vomicarum pus. Quod historiâ sequenti comprobatum. Adolescens, tredecim annos natus, à multis annis, quotidiè bis aut ter, puris horridè fœtentis, poculi circiter dimidiâ partem, tussiendo emittebat. Facies œdemate tumida; oppressio;

(1) Vid. BAYLE, loc.; cit., prof. CAYOL, loc. cit.

(2) Doct. RULLIER, loc. cit.

(3) Prof. LAENNÉC pus in pleurâ effusum in bronchiorum ramos evacuari sen gangrænæ, seu tuberculi emollii ope, solummodo existimat. Pluria observata empyematis per gangrænam in pulmonem effusi legere est apud doctorem BROUSSAIS, *Phlegm. chron.*, tom. I, pag. 290 et seq.

(4) Loc. cit.

(5) Loc. cit.

(6) AVENBRUGGER, etc. p. 296.

nullus, à sinistris, percussione sonus (nondùm inventa erat auscultatio); debilitas summa. Illum credidi magnâ excavatione vel tuberculosâ vel purulentâ laborare. Patre defuncto, tantus illi dolor, ut dies atque noctes ejularet; proindè arachnitide correptus, occubuit. Quod non ad rem spectat omittam. Pulmo dexter tantam amplitudinem adeptus erat, ut cartilaginibus costarum sinistri lateris responderet; pulmo sinister parvissimus, costis undiquè celluloso textu alligatus et aere omnino destitutus, lienis aspectum referebat. Frustrà in illo cavum purulentum quæsivi: at, bronchiorum ramis putidissimo pure plenis, mucosâque rubrâ, facilè intellexi pus mucosâ membranâ secretum, in bronchiorum ramis tanquam in fonte coacervari, foras expellendum cum majori esset copiâ. Ergò pus verum generare possunt membranæ mucosæ; ergò pus magnâ copiâ pulmonibus extrusum non semper in cavernâ purulentâ oritur (1).

Nunc de pectoriloquâ sermonem faciam.

29. Pectoriloquia evidens, perfecta, signum infallibile excavationis in pulmone sitæ, dixit professor LAENNEC: « Sur plus de deux cents phthisiques que j'ai ouverts, après avoir constaté leur état à l'aide du cylindre, il ne m'est pas arrivé une seule fois de ne pas rencontrer des cavités ulcérées dans un point du poumon où j'eusse trouvé la pectoriloquie d'une manière évidente (1). » Hoc uno signo, cuius certitudinem multoties expertus eram, fretus, ingentem excavationem vel plures excavationes prænuntiavi, apud ægrotantem, octavâ pneumoniae die enectum. Vir jàm senescens, sed integrâ valetudine, pneumonia acutâ correptus, tertianaque ab invasione die observatus, mihi obtulit, à dextris, pectoriloquiam quam maximè sinceram, sonoram, absque runco, absque

(1) Huic congruere mihi videtur celeberrimi HAEN observatio. Ægrotans magnam puris flavi virides centis, aquæ fundum petentis, copiam quotidie tussiendo reddebat. Aperto cadavere, pulmones incisi, nec pus, nec exulcerationem, nec vomicam offerebant.

Idem multoties vidiisse enarrat CORVISART (Op. cit., p. 334). In bronchiis paululum puris invenit, pulmonesque imminuti nullum inflammationis signum præbebant.

BAYLE de catarrhis purulentis phthisim mentientibus absque pulmonum lésione loquitur.

(2) Op. cit., t. I, p. 52.

crepitacione, omnem posticam thoracis regionem occupantem. Accedebat, quotiescumque expirabat æger, halitus intensus, quasi per tubum totis viribus in aurem meam aer insufflaretur. Percussio, è contrà, sonum tanquam percussi femoris dabat. Nunquam de pectoris morbo laboraverat æger. Aperto cadavere, stupefactus vidi videruntque adstantes qui thoracem mecum auscultaverant, omnem pulmonis dextri partem posticam densissimam, in conditione quam *hépatisation grise gallicè* nuncupare solemus.

30. Ter idem observavi tūm in vivo cùm in cadavere; longè sæpius si de pneumonicis qui feliciter evasere loqui vellem. Memini, uno in casu, me pectoriloquiam audivisse, non tantūm posticè, sed lateraliter, sed anticè, excepto pulmonis apice. Defunctæ mulieris cadaver incidere non mihi datum. Pectoriloquiam non sanè apud omnes pneumonicos audivi; sæpè tantummodò crepitat pulmo inflamatns. At crepitatio pulmonem adhuc aeri meabilem indicat; quotiescumque rapidè solidus velut hepar efficitur, tunc pars solida, bronchiorum resonantiam in thoracis parietibus reflectit stethoscopique interni vices explet. In pneumoniâ chronicâ cum induratione nunquam pectoriloquiam audivi.

31. Quānam igitur ratione pectoriloquiam è cavernâ à pectoriloquâ ex induratione ortam distinguere? Hanc semper siccā, fortissimam, æqualem, latè patentem; illam humidam, cum runco, circumscriptam, inæqualem, observavi. Ad hæc, si morbi decursum, acutissimum in hepatisatione, chronicum in cavernâ, percussionisque varios effectus spectaveris, probabilitatum summam ad certitudinem ferè physicam eyehi sanè perspicies.

32. Desunt observata directa quibus purulentarum excavationum curationis modum explanare valeam. At non semel cavernæ tūm mucosæ tūm fibro-cartilagineæ, nec non cicatrices, in pulmonibus alioquin sanis inventæ sunt. Sæpè, in sanis hominibus olim pneumoniam expertis, cavernæ, stethoscopii ope, observatæ sunt. Sic junioris matronæ quæ pneumoniam chronicam in infantiâ experta erat, thoracem auscultans, magnam cavernam in parte posticâ et infernâ inveni; sic doctores DE LENS et KERGARADEC idem annotaverunt sub claviculâ dextrâ hominis

leviter pneumonici (1). Cur enim pulmones purulenti longè aliter ac cæteræ corporis partes sese haberent? Adsunt textus cellulosus, tot bonorum totque malorum fons; adsunt vascula innumera; adest vita egregia: conditiones tūm physiologicas cùm pathologicas sanationi obstantes infrā fusè enarrabo. At excavationibus tuberculosis, eodem modo ac excavationes purulentæ, coalescentibus, ad illas propero.

#### §. IV. *An excavationes tuberculosæ sint insanabiles.*

Quamvis ultrà propositum materiei momento raptus, apprimè intellico excavationes tuberculosas, ut frequentissimas, ut gravissimas, omnes animi mei vires exposcere. Felix si scopum ni attingere, digito saltem à longè monstrare valeam!

33. Excavationes tuberculosæ nuncupantur, illæ quæ tuberculis succidunt. Ut propositam quæstionem solvere possim, ad autoritates confugio, imprimis ad clari BAYLE aureum opus, BAYLE qui noningenta phthisicorum cadavera perlustratus, vitæ suæ partem huic morbo tūm clinicè tūm in primis anatomicè investigando consumpsit. Magnâque impensâ operâ, hæc terrifica verba colligo, scilicet *phthisim pulmonarem nunquam retrò vertere, phthiseos sanatæ observationes ad catharros pulmonum vel abscessus tūm pleuriticos tūm pneumonicos attinere.* Attamen spes quædam nobis affulsit cùm doctor BROUSSAIS affirmasset phthisim pulmonarem nihil aliud esse quām chronicam pulmonum phlegmasiam, nec aliter ac phlegmasias chronicas vascula alba impentes, insanabiles. Me hasce ideas vividè expositas captantem brevi deterruit experientiæ lapis LYDIUS; oculisque meis systema, ingeniosum licet, factis undique labefactatum, corruit.

34. Attamen in anatomia pathologicâ quæ primò omnem spem auferre videbatur tot millia ulcerum in phthisi demonstrando, in ipsâ, inquam, anatomia pathologicâ spem salutis hausimus. Nemini enim in rebus ana-

tomicis versato, tūm cavernæ, tūm cicatrices fibro-cartilagineæ quædam non occurrerunt. At professori LAENNEC, sicut tot alia, materiem altius perscrutari datum est. Ego verò, rectè atque ordine progredi satagens, primò excavationum tuberculosarum quasi generationem exponam; nam his excavationibus perfectè agnotis, tūm sanabilatis tūm insanabilitatis vices omnibus patebunt.

35. Materiam *tuberculosam* tanquam secretionem morbidam duco, nunc in organorum superficie, nunc in mediis textibus, nunc in cystide propriâ depositam. Materiam *melanicam* nihil aliud esse quam tuberculosam materiam colore nigro tinctam existimo.

36. Pulmonum tubercula propriè dicta in cellulis sedem habent. Unaquæque suum tuberculum habet cellula. Sæpè in lobulo uno, unum, duo, vel tria tubercula insunt, sæpius plurima, quandòque innumerā; ità ut quæque lobuli cellula in parvissimo tuberculo conversa videatur.

37. In primo, sive eruditatis, stadio, integer penitus manet pulmonis textus. At seriùs ociùsve, tubercula ambiens pulmonis pars labore quodam morbido, nondùm sat cognito, quem inflammationem vocare non decet, (nam ab inflammatione propriè dicta toto cœlo distat) corripitur. Hujuscē laboris effectu, sensim atque sensim pulmonis textus quasi erosus destrui; tubercula emolliri; cavernulas ulcerave efformari; materia tuberculosa tūm circum circè, tūm in ipsâ cavernulâ effundi. Tūm sæpè vera inflammatio phlegmonodes intervalla cavernularum aut tuberculorum occupat, ægrotansque peripneumoniae et phthiseos junctis viribus è medio tollitur. Hocce in casu, apprimè intelligitur antiphlogisticam medicationem profecturam; at effeta plerūmq̄ hebetescit quaelibet medela.

38. Attamen, excepto pneumoniae, hæmoptiseos, cuiuslibetque complicationis adminiculo, pergit morbus, lento gradu vires conficiens. Tunc cavernulæ augentur; plures in unum coeunt; tunc nullâ viâ frænarī potest terrifica labes; tunc pulmonem integrum, quod vidi, in unam cavernam aut simplicem aut multilocularem aut spongii communis instar, converti. Non ulcerosus cancer, non nosocomialis gangræna citius et latius partes devorant. Nullus textus tuberculosam erosionem effugere

potest : bronchiorum ipsi rami exesi secantur. Vascula sola , miro naturæ artificio , textu celluloso sicco et denso obducta , intemerata manent , in cavernarum parietibus serpunt , aut , quod rarum , velut columnæ , in cavitate conspicua : attamen , rarissimè quidem , eroduntur vascula , unde hæmoptises lethales.

39. Alias , cavernis sat multis , sat magnis in pulmone formati , quiescunt paululum symptomata , mox intensius resurgenda. Nam phthisim uno tenore curriculum absolvere , rarum. Bis , ter , quater , vario interposito temporis spatio , accendentibusque novis causis , tubercula erumpunt , primò in pulmonis apice , secundò , in orâ posteriori ; non semel inveni paucissima tubercula , unamve cavernam in apice pulmonis , cætera autem sana. Quarè tristi privilegio , pulmonis apex tuberculis adamatur , nescio.

40. Non hic mihi in animo est omnes excavationum tuberculosarum modos describere , non hic de arduâ nec non lubricâ , sive diathesis sive prædispositionis , quæstione agere , meæ partes sunt. Tantummodò excavationum conditiones quaæ ad sanabilitatem insanabilitatemve spectant exponendum. Hæ conditiones sunt 1° organicæ , 2° mechanicæ. Ad conditiones organicas et parietum et ambientis pulmonis statum refero. In duplii statu parietes reperiuntur ; aut membranâ subruberâ , lævi , quam pseudomembrana operit , obdueuntur ; aut parietes subcinerei , inæquales , ulcerosi , ipsiusmet pulmonis textu efficiuntur.

41. Primo in casu , phthisis chronica est ; membrana quædam subjectas partes protegit : pulmonis textus ambiens colorem assuetum retinet , plerumquè induratus , fibro-cellulosus. Sæpè lineæ albæ et fibro-cellulosæ tex-tum cellulosum interlobularem indicant. Vidi pulmonem ferè integrum quasi atrophiâ consumptum minimèque respirationi inservientem , in ferè innumeræ spheroïdeas foveola sdivisum ; hic pulmo fibro-cellulosus nullatenus solitum aspectum referebat. Decem foveolæ aut amplius in unumquemque bronchiale ramum sese immittebant. Magnam puris mucosæ copiam quotidiè exscrebat æger ; febris sat mediocris ; illumque puris abundanti secretione , non autem febre nec sudoribus , exanimatum patuit. Hæc phthiseos species , si in quâdam pulmonis parte circumscribatur , aliquoties sanari potest.

42. In secundâ specie , excavationum parietes , quasi pulmonis detritu squalidi , inaequales , irregulares , subcinerei , nullâ membranâ obvestiuntur : ambientis pulmonis textum induratum , fragilem , materie tuberosâ infarctum reperies . Hæc phthiseos species acutissima , intrâ menses duos aut tres aliquandò decursum absolvit , nunquam curanda , utut circumscripta , ni præfatam induat formam .

43. Sub conditionum mechanicarum respectu , quâm multæ ad curationem obtinendam difficultates ! Reverà , si pulmonum excavationes juxtâ leges quæ , in re chirurgicâ , solutæ cohæsioni præsunt , dijudicare velis , quatuor res in continuarum partium solutione resaciendâ invenies , 1° partium solutarum contactum ; 2° quietem ; 3° puris vel cuius libet secretionis facilem evacuationem ; 4° inprimis exquisitam tûm structuram , tûm vim vitalem .

44. 1° Minimè se invicem tangunt excavationum parietes ; nam è partium tûm destructione tûm compressione ortum ducunt , purisque majori minorive quantitate separantur . 2° Minimè immotæ manent excavationes , nam thoracis alternis motibus trahuntur , præterea aerem alternè admittentes et expellentes . Imò in voce producendâ , in tussi , aeris columnâ excavationis pariætes feriens reflectitur , concussionsque ingentes movet . 3° Pus secretum , nedùm facilè evacuetur , è contrâ sensim congeritur , donec distensâ cavernâ , expectorationis percipiatur necessitas . Adde quòd bronchiorum rami arctissimo orificio in excavatione aperiuntur , quòd pus aeri mixtum brevè corrumpitur . 4° Tûm excavationis parietum , cùm generalis habitûs pessima conditio .

45. Ergò unaquæque caverna , distractis et causæ generalis quæstione et etiam parietum organicâ læsione , haberi debet tanquam fistula cuius orificium parvum vel oricia plurima parva , fundus autem magnus , et cuius parietes nec juxtaponi nec quiescere possunt , ideoque non in genere sanabilis . Attamen natura medicatrix quandoquè difficultates omnes superat . Quod fusè latèque exponam præmissis nonnullis circâ excavationum quædam phœnomena .

46. In pectoriloquiâ de quâ suprà dixi , tota excavationis tuberculosæ ponitur diagnosis . Anne dantur vomicæ tuberculosæ clausæ ? Evident

credo, nam phthisicos, post longam tussim sicciam, magnam puris quantitatem uno tempore regurgitare vidi. Saepius et bronchiorum ramuli et pulmonis textus simul eroduntur. Pectoriloquia cum tinnitu metallico excavationum duas varietates certissimè indicat. Si excavatio magna, partim vacua, per arctum orificium in bronchios aperitur, tum tinnitus metallicus levi susurro, quem in lagenam excitaret aeris exspirati columna, conferri potest; et quandoquè tantum post tussim, percipitur susurri sensus. Sin autem, in pleuræ cavum excavatione sese exoneraverit; tunc, dum spirat, loquitur vel tussit æger, sonus argenteus, distinctissimus, à quolibet vel minùs attento auditur. Non hīc à proposito alienum videbitur observatio pneumo-thoracis à rupto in pleuram tuberculozo cavo proveniente (1).

Triginta circiter annos natus homo lethaliter phthisicā labe decumbens, anxietate insolitâ à paucis diebus confectus, attentissimè exploratus, obtulit *dextrum* thoracis latus longè amplius quàm *sinistrum*; percussio à *dextris* multò obscurior quàm à *sinistris*. Quid indè? Auscultationis ope ademtā, certè *sinistrum* latus esse sanum, liquidumque in pleurâ *dextra* effusum, nemo non inferet. At auscultatione adhibitâ, respiratio optimè auditur à *dextris*; tinnitus metallicus distinctissimus atuditur à *sinistris*; tum omnibus patuit pulmonem *dextrum*, integerrimum, *sinistrum* latus coarctatum, liquidi sat magnam copiam in pleuræ *sinistræ* cavo contineri, tum pneumo-thoracem, ruptâ excavatione tuberculosâ productum. Tribus hebdomadibus elapsis, iisdemque særissimè à plurimis observatis, occubuit æger.

Extispicium sic institutum. Punctione in tertio spatio intercostali superiore factâ, statim cum strepitu erumpit aer. Tunc, aperto thorace, magnum spatium vacuum observaverunt, aere procul dubio occupatum; tertia pars circiter hujusce cavi serum purulentum continebat. Quibus observatis, aquâ completum est pectus, aer per tracheam in pulmones

(1) Hanc observationem mihi commisit alumnus Lenormand, egregius juvenis, qui morbis pectoris stethoscopio investigandis perseveranter incubuit: de quâ testis doctor Gibert, tunc nosocomii Hôtel-Dieu internus.

insufflatus, et illicò in liquidi superficie aeris bullæ cum strepitu rumpuntur. Tunc attentè rimatus pulmo obtulit, posticè et supernè, hiatum calami scriptorii diametrum æquantem, quo perventum est in tuberculosum cavum nucis juglandis capax, et, alterà parte, in bronchiis aper-tum. Pulmonis cætera pars carnificata, mollis, absque tuberculis. Anne excavatio verè tuberculosa erat? Illam à pleuro-pneumoniâ venire satiùs duco. Hic iterùm memorare mihi detur pneumoniam circumscriptam ferè semper pleuritide stipari.

Sed è diverticulo ad viam.

47. Quānam ratione excavationes tuberculosæ sanantur? Inest animalium partibus suprema lex, ut, quotiescumque corpore extraneo irritantur, sensim sine sensu irritanti causæ assuefactæ, membranā tenui, rubrā, membranas mucosas plus minusve æmulante, tanquam inexpugnabili scuto obvestiuntur. Textus cellosus, organorum universum subtemen, quem transformationis organum lubenter vocarem, nempè, prout œconomiæ necessarium, nunc fibro-cellulosi, nunc fibrosi, cartilaginei, ossei textūs characterem induentem; textus cellulosus, inquam, solus hæc efficit prodigia.

48. Non huic universæ œconomiæ legi reluctatur pulmo. Etenim in casu et infeliciSSimo, emunctæ naris observator quosdam salutares naturæ conatus deprehendet. Attamen, si præfata circà excavationum tuberculosarum conditiones è mente non exciderunt, nedùm de paucis faustis observationibus stupeas, multò magis tot obstacula, vel semel, devicta fuisse miraberis.

49. Quis non vidit phthisicos ad mortem velut addictos, stupente medico, quasi miraculo emergi; vitamque debilem, languentem, decem, aut viginti annis, sese catarrhosos, asthmaticos existimantes, tranare. Quorundam cadavera perlustravi; inveni modò tertiam, modò dimidiam pulmonis partem jamdudùm respirationi non famulantem, cavernis plurimis excavatam, membranā subrubrā tenuissimā obductis et mucoso-purulentā materie plenis. Circùm circà, pulmonis textus densus, spleniformis, fibro-cellulosus. Hanc transformationem *imperfectarum mucosarum stadium* vocare soleo.

50. Cùm in pulmonibus sic transformatis nullum invenio tuberculūm ; hanc læsionem ad pneumoniam chronicam refero. Ad eandem revocanda fibro-cellulosa aut meliùs fibro-cartilaginea pulmonis transformatio , quam partem pulmonis occupare vidi. Professor LAENNEC mihi narravit se pulmonem dextrum integrum semi-cartilagineum observāsse. Undiquè pleuræ costali adhærebat pulmo : lobus inferior , non secūs ac tendines , totus albido erat. Lobi superiores fibro-cartilaginei , subcærulæi dabantur. Nulla caverna.

51. Rariùs cum tuberculis invenitur tūm membrana mucosa imperfecta, tūm transformatio fibro-cellulosa , illius indivulsus comes ; at nunquam in eādem pulmonis parte: nam tuberculosa labes cuilibet cicatricis abori prorsūs repugnat. Sic in muliere quæ et sterni carie venereā et phthisi tuberculosā laboraverat , vidi, in pulmonis dextri apice, quinque excavationes fibro-cellulosas membranā mucosā imperfectā obduc-tas. Nullum, circūm circà, tuberculum inerat , at cæteræ pulmonis partes tuberculis innumeris inficiebantur Hasce excavationes ab aliâ causâ ac tubercula productas fuisse cuilibet affirmare fas erit. At verisimiliùs est eamdem causam , sed vario intervallo agentem , incusare.

52. Seriùs ociùsve , *perfecta* prorsūs efficitur mucosa accidentalis. Tunc densior , rosacea , mucum semi-pellucidum secernit : à bronchiorum mucosâ, quâcum continuatur, illam distinguere impossibile est. Tunc pulmonis textus , mucosæ subjacens , fibro-cellulosus membranæ fibrosæ submucosæ naturali simillimus.

53. Non semper cystide mucosâ ad impactam labem reficiendam natura utitur. Jàm pridem fibro-cartilagineæ cavernæ , fortè in cadaveribus inventæ , annotatae fuerant. Sed de his ex professo dissernit auscultationis mediatæ inventor , primusque illas tanquam veras tūm ulcerum tūm excavationum cicatrices celebravit. Modò fibro-cartilagineæ cavernæ primariæ sunt aut, ut ità dicam , tuberculorum coævæ ; modò excavationi consecutivæ. Prioris gallicè (*tubercules enkystés*) nuncupatæ, semper parvæ , tuberculosam materiem seu duram seu emollitam continent. De his non disserendum. Posterioris aut pus aut mucum purulentum, rarissimè tuberculosam materiem præbent. Hæ membranæ frustulis cartinagilosis

fibro-celluloso textu intermixtis conflantur, strato fibro-celluloso circumdatae.

54. Haud immerito à me quæretur an certum sit semicartilagineas membranas à cavernis tuberculosis ortum semper ducere : ad hoc respondebo : 1° hasce cavernas plerūque pulmonis apicem occupare; 2° non semel plures cavernas, varios transformationis gradus offerentes, in eodem pulmone inventas esse; 3° tuberculosam labem simul cum cavernis observari. È quatuor observationibus à professore LAENNEC narratis, tres tubercula simul et cavernas offerunt. Idem legere est in casu sequenti quem amicus meus, doctor JOLLY mihi suppeditavit.

Puer quinquennalis, cuius mater phthisicorum more occubuerat, pleuropneumoniā, cum puncto acuto in scapulo sinistro, sputo sanguineo et puriformi correptus ritèque tractatus, convalescere visus est. Pectoriloquia in scapulo sinistro evidens, tūm in morbi decursu, tūm post morbum. Sex mensibus elapsis, recrudescunt symptomata; rapidè emaciatur puer; intrà duos menses conficitur. Aperto cadavere, inventa est, in scapulo sinistro, ubi pectoriloquia detecta fuerat, excavatio cartilaginea, muco semi-pellucidoplena, nucis juglandis capax: innumeris tuberculis tūm duris tūm emollitis scatebat pulmo.

55. Purulentas pulmonum excavationes cartilagineâ parietum transformatione curari haud equidem dubito. Cùm nullum tuberculum in eodem pulmone reperitur, cavernam pneumoniae sequelam esse dico. Hujus prosapiæ mihi videtur prima professoris LAENNEC circà excavationes cartilagineas observatio.

56. Ampullæ vel cavernulæ, bronchiorum dilatatione effectæ, pro cavernulis mucosis, olim tuberculosis, haberri possent. At nil morbi vestigia indicat nec in illarum parietibus nec in ambiente textu.

57. Excavationis alterum genus observandi non semel mihi data fuit occasio. Nempè bronchialis ramulus dilatatur, non in uno puncto, ut suprà, sed in sat magno tractu, ita ut nunc fusiforme, nunc sphæroïdeum cavum repræsentet. Haud raro hujus cavi fundus in plurima secundaria cava vel appendices dividitur. Membrana mucosa, modò conspicua, modò cum textu fibro-celluloso densissimo parietes formante confun-

ditur. Vidi hæc cava phosphate calcis concreto plena. Evidens est illa cava è liquidi aut phosphatis calcarii congerie ortum debere.

58. Cystides serosi, adeò frequentes in bove et ove, in homine rari, aliquoties in bronchiorum ramis aperiuntur. In pulmonibus animantium hisce cystidibus infarctis, vidi pluries cava magna in bronchiis aperta; et naturæ vestigia, ut ita dicam, premere mihi datum est. Nam quosdam cystides inveni jamjam in bronchiis aperiendos; nempè pseudomembrana tenuis cystides illos omnes obducens liquidi effusioni tantum obstabat.

59. Dantur nonnunquam in pulmonis superficie rugosæ et densissimæ depressiones à veteribus jàm dudùm adnotatæ, quas velut cystidum ruporum cicatrices sumebant. Observatio sequens, quæ mihi communis est cum carissimo meo, doctore VAILLERAND DE LAFOSSE, pulmonis cicatricum tanquam exemplar haberi potest. In cadavere hominis, nescio quo morbo defuncti, pulmones cæteroquin sanissimi nobis duas cicatrices præbuerunt. Altera major lobi superioris medium et externam partem occupabat. Hic pulmo depresso offerebat cayum sat profundum, corrugatum, pleuræ costali, mediantibus filamentis fibrosis, adunatum; incisione factâ, laminam subflavam, cartilagineam, sesquipollice longam, uno pollice latam, unâ lineâ crassam, invenimus. Circum circa pulmo sanus erat,

60. Accuratissimè has cicatrices descriptis professor LAENNEC, observavitque laminam fibro-cartilagineam in plures laminas fibro-cellulosas divergentes divisam, cretaceâ et ossiformi materie penetratam, in pulmone sensim atque sensim finire: annotavitque materiâ melanicâ infici pulmonis vicinorem partem. At hæ duræ, corrugatæ, fibro-cartilagineæ depressiones, sunt-ne veræ excavationum cicatrices? Quod, bronchiorum destructione, nec non rugis radiatis, colore subflavo vel subfusco demonstrari mihi videtur. Duæ, opere toties citato excerptæ, observationes opinionem hanc firmant (1). In medio pulmonis, cartilagineus globus nucem juglandem adæquans inventus est. Duo rami bronchiales in hunc globum sese immittebant; ambo ut ampulla desinebant: alter in medio cartilagine conspicuus erat, sed obliteratus. In alio casu, è depressione densâ,

---

(1) *Traité de l'auscultation médiate*, § 97.

profundâ, partem externam et posticam lobi superioris occupante, nascebatur lamina cartilaginea, post brevem tractum in duas laminas minores divisa, quæ cystidem efformabant, materie tuberculosâ plenam. Corrugationes adeò conspicuæ monstrant partes à se invicem magno intervallo separatas, cicatrice densâ minimè extensibili sensim attractas fuisse, undè depressio et deformatio.

---

## CONCLUSIO GENERALIS.

**ERGO OMNIS EXULCERATIO VEL ETIAM EXCAVATIO NON EST  
INSANABILIS.**

Quod ut clarius pateat, opellæ meæ quasi substantiam hic exprimere, congruum mihi videtur. Præmissis quibusdam, in primo paragrapho dixi de veterum errore circâ pulmonum ulcera, de pleuræ inflammatione ab externâ ad internâ illius faciem procedente, de pleuræ emollitione gelatiniformi, de membranæ mucosæ primitivâ exulceratione, perrarâ in homine; nec non de exulceratione tuberculæ excipiente. Hic quæstio insanabilitatis vel sanabilitatis pauca mihi obtulit.

In secundo paragrapho, consultò omissis excavationibus sanguine, sero, hydatidibus, encephaloideo tumore, plumbeâ glande, etc., formatis, excavationes gangrænâ effectas exposui; pulmonum gangrænam diffusam et gangrænam circumscriptam interstinctas esse demonstravi. Ad sanabilitatis insanabilitatisve quæstionem solvendam, tûm causam generalem, tum localem pulmonis læsionem respicere mihi fuit. Pulmonis læsio, abstractâ causâ generali, non semper naturæ medicatricis vires excederet. Sunt-ne vera pulmonum gangrænæ curatæ exempla? Numquid excavationis tuberculosæ parietes gangrænâ quandoquæ corripiuntur?

In tertio paragrapho, de excavationibus purulentis pneumoniâ tûm acutâ tûm chronicâ productis sermonem feci. Cùm de harumce excavationum existentiâ ambigitur, hanc comprobandum habui, quod fusè. Ex hâc disquisitione collegi purulentos abscessus perraros in cadavere, frequentiores in homine vivo. De illorum sanabilitate vel insanabilitate dicturus, signa quibus in vivo homine abscessus præsentes abscessusque curati manifestantur, non exponere non potui. Pus ore

tussiendo rejectum, è pulmone, è pleurâ, ex hepate aut peritonide circumscriptâ, è bronchiorum mucosâ ortum ducere; pectoriloquiam non esse cavernæ signum infallibile; quomodò pectoriloquia è cavernâ et pectoriloquia ex indurato pulmone distingui ab invicem mihi videantur, dixi. Quoad excavationum purulentarum cicatricem, de hâc in paragrapho sequenti copiosè disserui.

In quarto et ultimo paragrapho, de tuberculosis excavationibus sermonem feci. Anatomiam pathologicam nobis sanationem non semper impossibilem demonstrare asserui. Quæstio sanabilitatis insanabilitatisve in exquisitâ excavationum cognitione ponî mihi visa est, ideòque hasce excavationes vel acutè vel chronicè productas, 1° sub conditionum organicorum, 2° sub conditionum mechanicarum respectu accuratè descripsi. Phthisis causas, etsi illarum continuitas vel absentia faustum aut infaustum exitum adducere queant, consultò prætermisi; nam de excavationibus, non autem de causis phthisim producentibus, mihi disserendum erat. Eâdem ratione, nec curativas indicationes, nec medelas varias quæ tamen tantâ vi in curatione pollent, proposito meo alienas duxi: non diathesin, non prædispositionem, non causam generalem œconomiæ, juxtâ plurimos, inustam delibare in animo fuit; non hic etiam delibabo; quod vidi, dixi; quod hypotheticum, tanquam hypotheticum sumo. Quandoquæ in cadavere, non secûs ac in vivo, pneumoniam chronicam plurimis foveolis purulentis stipatam, à phthisi discernere non potui. Vidimus tuberculæ in cellulis primò includi, cellularum parietes labe quâdam ulcerosâ corripi, ulcera excavationesque efformari, mortemque seriùs ociusve imminere. Vidimus præterea naturam tot et tanta pericula quandoquæ superare, textum cellulosum, transformationis organum, in membranam mucosam primò imperfectam, posteà perfectam, aliàs in fibro-cellulosum, aliàs fibro-cartilaginosum textum transformari. Excavationes tûm cystidis serosæ tûm bronchiorum dilatationis sequelam, indicavi; et pulmonis cicatricum descriptione rude inconditumque absolvi opusculum.